

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 2011

**Auteur(s) :** Richard Ier Cœur de Lion, Angleterre (roi)

**Bénéficiaire(s) :** Gautier de Coutances, Rouen (archevêque)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1197, 16 octobre

**Lieu d'émission :** Rouen

**Action juridique :** échange

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Richard Cœur de Lion, roi d'Angleterre, et Gautier de Coutances, archevêque de Rouen, avec l'approbation du chapitre et du pape Célestin III, font échange du manoir et de la forêt d'Andeli, et des dépendances, le manoir de Fresnes réservé, contre les moulins de Rouen, les villes de Dieppe et de Bouteilles, le manoir et la forêt de Louviers, et celle d'Alihermont.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

- a. Pommeraye Jean-François, *Histoire des archevesques de Rouen*, Rouen, Maurry, 1667, p. 422 (traduction).
- b. Bonnin Théodose, *Cartulaire de Louviers*, Évreux, Hérissey, 1870-1873, 6 vol., t. 1, n° LXXI, p. 92-104.
- c. Piolin Paul, Sainte-marthe Denis de, *Gallia Christiana in provincias ecclesiasticas distributa*, t. XI, Paris, Palmé, 1874, Instrumenta, col. 27.

Texte établi d'après b

Ricardus, Dei gratia, rex Anglie, dux Normannie, Aquitanie, comes Andegavie, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, prioribus, comitibus, baronibus, justiciariis, senescallis, vicecomitibus, prepositis, ministris et omnibus baillivis et fidelibus suis, salutem.

Cum sacrosancta Ecclesia sponsa sit Regis regum et unica dilecta illius per quem reges regnant et principes gubernacula possident, tanto amplioem ei volumus devotionem et reverentiam exhibere, quanto certius non regiam tantum set omnem a Domino Deo esse credimus potestatem. Unde sicut venerabilis Rothomagensis ecclesia, que inter universas terrarum nostrarum plurima celebritate dinoscitur enitere, pro rerum necessitate vel temporum nostris ducit utilitatibus oportuna diligentia consulendum, sic nos ejusdem matris nostre commodis et augmentis digna compensatione dignum ducimus respondere.

Sane villa Andeleii et quibusdam aliis adjacentibus locis, que erant Rothomagensis ecclesie minus sufficienter firmatis, inimicis nostris in terram nostram Normannie per eadem loca patebat ingressus per que incendiis et rapinis nec non et aliis hostilitatis seviciis in eandem terram non nunquam licentius grassabantur. Quocirca venerabili patre Waltero archiepiscopo et capitulo Rothomagensi debitum habentibus ad nostra et predice terre nostre dampna respectum, facta est permutatio inter ecclesiam Rothomagensem et archiepiscopum Rothomagensem Waltherum, ex una parte, et nos, ex altera parte, de manerio de Andeli in hac forma :

Scilicet, quod idem archiepiscopus, de conscientia et voluntate domini pape Celestini tercii, et de assensu capituli Rothomagensis ecclesie et coepiscoporum suorum et cleri ejusdem archiepiscopatus, concessit et inperpetuum quietum clamavit nobis et heredibus nostris predictum manerium de Andeli cum novo Castello de Rupe et cum

foresta et cum omnibus aliis pertinentiis et libertatibus suis ; exceptis ecclesiis et prebendis et feodis militum, et excepto manerio de Fraxinis cum pertinentiis suis. Que omnia idem archiepiscopus ecclesie Rothomagensis et sibi et successoribus suis retinuit cum omnibus libertatibus et liberis consuetudinibus suis et cum omni integritate sua in perpetuum. Ita quod tam milites quam clerici et omnes homines, tam de feodis militum quam de prebendis, sequentur molendina de Andeli, sicut consueverunt et debent, et moltura erit nostra. Archiepiscopus autem et homines sui de Fraxinis molent ubi idem archiepiscopus volet, et si voluerint molere apud Andeli, dabunt molturas suas sicut alii ibidem molentes.

In excambium autem predicti manerii de Andeli cum pertinentiis, concessimus et in perpetuum quieta clamavimus ecclesie Rothomagensis et predicto archiepiscopo et successoribus suis omnia molendina que nos habuimus Rothomagi, quando hec permutatio facta fuit, integre cum omni sequela et moltura sua sine aliquo retinemento eorum que ad molendina pertinent vel ad molturam, et cum omnibus libertatibus et liberis consuetudinibus quas solent et debent habere. Nec alicui alibi licebit molendinum ibidem facere ad detrimentum predictorum molendinorum, et debet archiepiscopus solvere elemosinas antiquitus statutas de eisdem molendinis.

Concessimus etiam eis villam de Diepa et Pollet de Boteilles cum omnibus pertinentiis et libertatibus et liberis consuetudinibus suis, exceptis elemosinis constitutis in manerio de Diepa a nobis et antecessoribus nostris, quarum summa est trescente et septuaginta due libre Andegavensium, que debent solvi per manum predicti archiepiscopi et successorum suorum hiis quibus assignate sunt.

Concessimus etiam eisdem manerium de Lowiers cum omnibus pertinentiis et libertatibus et liberis consuetudinibus suis, cum ministerio de Lowiers, salvis ad opus nostrum venatione nostra et destructione foreste ; ita tamen quod non sit in regardo.

Concessimus etiam eis totam forestam de Alihermont, cum feris et omnibus aliis pertinentiis et libertatibus suis, sicut eam habuimus.

Hec enim omnia in excambium predicti manerii de Andeli cum predictis pertinentiis data habebunt ecclesia Rothomagensis et predictus archiepiscopus et successores sui in perpetuum cum omnibus libertatibus et liberis consuetudinibus suis, sicut predictum est. Homines autem predicti archiepiscopi de prefato excambio habebunt omnes libertates et liberas consuetudines quas habuerunt homines de Andeli, dum manerium illud esset in manu ipsius archiepiscopi.

Hec autem omnia que idem archiepiscopus in hoc excambio recepit warrantizabimus nos et heredes nostri ecclesie Rothomagensis et predicto archiepiscopo et successoribus suis in perpetuum contra omnes homines ; ita quod si aliquis excambium aliquod est recepturus pro aliquo predictorum que memoratus archiepiscopus hic recepit, nos vel heredes nostri faciemus illud excambium et ecclesia Rothomagensis hec predicta in perpetuum pacifice possidebit.

Nos autem, quantum rex potest, excommunicamus et concedimus quod indignationem omnipotentis Dei incurrat quicumque contra hoc factum venerit.

Testibus hiis : Huberto, Cantuariensi archiepiscopo ; Johanne Wigorniensi ; Hugone Coventrensi ; Savarico Battoniensi ; Henrico Baiocensi ; Garino Ebroicensi ; Lisiardo Sagiensi ; Willelmo Constanciensi, episcopis ; Willelmo Abrincensi electo ; R. Sancte Trinitatis de Monte Rothomagi ; Reginaldo Sancti Wandregisili ; Victore Sancti Georgii ; Arturo Ulterioris portus ; Osberto de Pratellis ; Hugone de Augo ; Willelmo de Cornevilla, abbatibus ; Johanne, comite Moretonii ; Othone, comite Pictavensi ; Balduino, comite Albemarle ; Radulfo, comite de Augo ; Willelmo Marescallo, comite de Striguil ; Willelmo filio Radulfi, senescallo Normannie ; Roberto de Torneham, senescallo Andegavie ; Willelmo de Hommez, constabulario Normannie ; Hugone Brun ; Radulfo, camerario de Tancarvilla ; Willelmo Martel ; Radulfo Thaison ; Gaufrido de Say ; Gisleberto filio Reinfredi ; Roberto de Harecourt, et multis aliis.

Datum per manum E[ustachii], Elyensis electi, vices cancellarii tunc agentis, apud Rothomagum, anno ab incarnatione Domini M° C° XC° VIJ°, xvj die octobris, anno regni nostri octavo.

« Ph., Dei gratia, Francorum rex.

« Notum facimus universis tam presentibus quam futuris, quod, sactis preconizationibus et solemnitatibus consuetis in firmis et censivis nostris perpetuo tradendis, pensataque utilitate nostra ac successorum nostrorum, Roberto de Furno, armigero, tradidimus et ad firmam perpetuam concessimus quinque molendina nostra ad bladum de Andeliaco veteri et de Andeliaco vocato la Couture cum multis siccis et madidis ad illa spectantibus et ceteris eorum pertinentiis universis, tenenda et perpetuo pacifice possidenda ab eodem Roberto ejusque heredibus vel successoribus aut causam habituris ab eo, mediantibus quatuor centum vinginti libris Parisiensium annui et perpetui redditus nobis et nostris successoribus ab eodem R. ejusque heredibus vel causam habituris ab eo singulis annis, medietate videlicet in scario sancti Michaelis, et alia medietate in scario Pasche perpetuo persolvendis,

retentisque nobis curia et usu cum pertinentiis omnimode justicie premissorum et piscariis vivariorum ibidem, quorum vivariorum calceias nos nostrique successores tenebimur nostris propriis sumptibus de cetero sustinere. Si vero nos aut nostri successores hujusmodi vivariorum piscarias faceremus et contingebat propter hoc aliquem dictorum vivariorum diminui, ita quod propter hujusmodi diminucionem molendina predicta cessare oporteret et occiosa fore, nos et nostri successores dicto Roberto et ejus heredibus vel causam ab eo habituris dampna que propter hoc sustineret, inspectis et consideratis tamen dietis et tempore chomagii, de quantitate firme predictae tenebimur resarcire, proviso quod si inter dictum Robertum aut ejus heredes vel causam habentes ab eo et homines bannerios seu moltarios ipsorum molendinorum occasione multe eorumdem vel pertinentiarum ipsorum contingat oriri querelam, volumus quod ad primas assisias seu placita loci illius absque defectu vel exonio terminetur. Et si dicta molendina alicui vel aliquibus in aliquo teneantur predictus R. heredesque aut successores sui omnia et singula facere et reddere tenebuntur, et ex nunc tenentur ; ad que dicta molendina erant antea obligata ipsa que molendina suis propriis sumptibus merrennii et alterius materie cujuslibet generis sustinere ; et pro hujusmodi redditu pro dictis molendinis nobis et nostris successoribus ab eodem R. ejusque heredibus, successoribus vel causam habituris ab eo perpetuo solvendo, dilectus et fidelis Matheus de Tria, cambellanus noster, quatuor viginti et quatuor libras Parisiensium annui et perpetui redditus super omne quod habet apud Andeliacum, ratione excambii per nos cum eodem Matheo ibidem facti, capiendas terminis supradictis in contra plegum assignavit nobis et nostris successoribus perpetuo remansuras una cum dictis molendinis, si ipsum Robertum vel heredes suos aut causam habentes ab eo a contractis hujusmodi contingeret resilire, vel molendina dimittere supradicta. Quod ut firmum, etc. : salvo, etc.

« Actum apud Rothomagum, anno Domini M<sup>o</sup> CCC<sup>o</sup> octavo, mense octobri. »